



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De vino in amphora diuinitus procurato. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## CAPVT XIX.

*De vino in amphora diuinitus procurato.*

**I.** **F**emina quædã pauperula, & morbo caduco grauata, ostiatim potum mendicabat. Quam cum omnes, præ horrore infirmitatis illius vitarent, & ostia sua clauderent: virgo clemens & nullum miserum abhorrês, percepta calamitate eius iussit appropinquantem domui suæ ad se vocari, & mendicam introduci. Ingressa igitur ad virginem, petijt potum in eleemosynam. Tunc virgo ægrota, compatiens pauperulæ petenti, cum non haberet, quod in promptu melius daret, iussit vt amphoram vinariam super asserem stantem caperet & potaret. Accipe (inquit) filia amphoram illam, & quod in ea fuerit ebibe vinum. Quo hausto, cum adhuc amplius sitibunda peteret, respondit virgo se nescire quicquam liquoris amplius in domo fore. Sed ne tristis & infatiata recederet, dedit ei vnum denarium, vt potum venalem cum eo emeret.

**2.** Post hæc vespera appropinquante, cœperunt labia virginis præ siti desiccari. Petebat ergo à patre suo adhuc viuento, vt modicum vini ad refrigerandam ariditatem, sitis sibi afferret. Quo respondente, libenter: cum amphoram prædictã tangeret, vt petitionem filia perficeret, protinus se vino perfudit, quod diuino nutu in ea procuratum fuit. Sicque pro modico, quod pauperi in necessitate gratanter dedit, multum melius & largius à Deo recepit. Hæc cum pater filia retulisset, illa admirans, gratias Domino corde tenus egit. Erat autem hoc vinum rubicundum, & ita bene temperatum, quod non indignit cum aqua illud miscere, quemadmodum in altero vino facere consuevit. Durabat verò hoc vinum à festo Remigij, vsque circa festum conceptionis B. Mariæ Virginis.

**3.** Quo tempore, intrabat ad eam quædam honesta matrona, nomine Catharina Simonis, quæ solebat ei ex speciali deuotione, vinum procurare. Hæc ignara mysterij de vino à Deo donato, volens melius & recens afferre, quasi fastidians de nimia vetustate, vim illius remanētis totum effudit: & sic non est amplius vsa illa cælesti benedictione. Dicebat tamen virgo prædictæ Catharinæ, amatrici suæ, ante effusionem vini, hoc vinum satis esse conueniens, & sufficere sibi, nec vquam simile prius gustasse. Istud signum gratiæ factum est apud eam, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, cum adhuc in hebdomada media pinta vini vteretur.

CAPVT